



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Bibliotheca Rhetorum**

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et  
Oratiunculae

**Le Jay, Gabriel François**

**Ingolstadij, 1726**

M. Tullius Cicero T. A. Miloni Massiliæ exulanti, cùm scriptam, quam pro eo  
dixerat, Orationem mitteret.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

hanc quoque computabis, imò hanc imprimis quæ periit in ferculo. Ad hæc Olivæ Salyæ longâ muriâ conditæ. Quid plura? fructus omnis generis, quos tempestas ferat; etiam cûpediæ, bellaria, dulciaria, si tamen delicias illas confectaris. At tu apud nescio quem Aprum, Perdices, Lepores maluisti. Dabis pœnas, non dico quas. Durè fecisti; nescio an tibi, an mihi; sed tamen & tibi. Quantum lussissemus, risissemus! Potes apparatus cœnare apud multos, nusquam hilariùs, simpliciùs, incautiùs. In summâ expirare; & nisi posthac te alijs potiùs excusaveris, mihi semper excusa. Vale.

---

### MARCUS TULLIUS CICERO

Tito Annio Miloni Massiliæ  
exulanti.

*Cùm scriptam, quam pro ipso dixerat,  
Orationem ad eum mitteret.*

#### Ad excusandum.

**E**Xulas ergo vel innocens, Tite Anni; neque fatalem à cervicibus tuis casum arcere potuit tuus ille Tullius, cujus in patrocinio tantum posueras? Infelicem me vel hac meâ, si qua est, dicendi facultate, quæ tibi non profuit! Nam quid me juvet adfuisse quibusdam in causâ capitis, & meritas etiam nonnunquam pœnas depulisse; dum tibi reliquos inter homini amicissimo opitulari non licuit? Tamen accusa effrænem armorum licentiam; accusa Clodianæ factionis auctoritatem; quæ pristinam consuetudinem Fori, & vetere-



veterem judiciorum formam sustulerunt. Quis esse potuit inter armatos satellites & impudentes sicarios vel innocentiae vel Oratoriae facundiae locus? Quam tibi hac in parte non defuerim, fidem faciet isthac Oratio, quae fuit tuam in defensionem comparata. Hanc tu perleges attentè, si me amas, & de meo erga te studio facies conjecturam. Si quem habeo rei Forensis usum, si quam in agendis causis experientiam sum consecutus, equidem profiteri possum; nihil ad propulsandam calumniam excogitari potuisse validius, nisi inimicorum nostrorum furor atque potentia innocentiae & aequitati praevaluissent. Quid restat, Tite Anni, nisi ut, fortuna melior dum venerit, aequo, ut virum fortem decet, animo praesentem feras. Vale.

TITUS ANNIUS MILO

Marco Tullio Ciceroni.

*Cum actam pro se ab eo Orationem, scripto exaratam perlegisset.*

Satyrica.

**C**Um vidi perlegique attentius, quam scripsisti pro me Orationem, cujus ad rationum monumenta, ad elegantiam concinnitatemque sermonis, ad ipsam totius operis absolutionem nulla fieri potest accessio, mirabar, Marce Tulli, ut fatear quod res est, vixque ac ne vix quidem mihi persuadebam, Milonem illum, cujus egeras causam tam disertè, versari Massiliae exulem; neque tanto praesidio fretum tristissimam, quam patitur, sortem declinare potuisse. De-  
bueram